



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

26 Vtrum religiosi debeant tolerare suos impunatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

penitentiam ad primum consequendum.

RESPON. Dicendum, qd cum aureola importet quandam singularem excellentiam premij, necesse est, qd presupponat auream, sicut copariatus presupponit posituum, & hoc figuratur Exo. 25. vbi dicitur. Facies super coronam auream, altera aureo lam: & ideo qui non meretur aurea, id est, primum essentialis, non meretur aureolam: qui autem propter inanem gloriam operantur, non merentur primum essentialis, quia receperunt mercedem suam, vt dicitur Matth. 6. vnde nec merentur aureolam. Penitentia autem restituit homini premia prius habita, non autem conferit ei ea, quae non habuit, nisi in quantum ipse motus poenitentiae est meritum. vnde talis non meretur aureolam.

AD PRIMUM ergo dicendum, qd conuersioni fidelium debetur aureola praesupposito merito essentialis premij in eo, qui praedicauit, alioquin locum habet, quod dicitur Matth. 16. Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patitur.

AD SECUNDUM dicendum, qd aureola virginitatis debetur integritati carnis, quae manet post poenitentiam, & ideo debetur virgini poenitenti aureola: sed aureola doctrinae debetur actui doctoris qd transit, & ideo post poenitentiam non debetur aureola doctori, nisi actus retineretur.

ARTICVLVS XXV.

Verum si per doctrinam alicuius aliqui retrahantur a meliori bono, ille teneatur suam doctrinam reuocare.

CIRCA secundum sic proceditur. Videtur qd si per doctrinam alicuius aliqui retrahantur a meliori bono, qd ille teneatur suam doctrinam reuocare. Talis n. doctor in sua doctrina facit scandalum actuum, quia doctor informat intellectum, intellexit autem informat affectum, & per consequens actum: sed si scandalum actuum tenetur quilibet remouere, ergo talis doctor tenetur suam doctrinam reuocare. Præterea. Spirituales sunt temporalibus potiora: sed in temporalibus, vt August. dicit, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. ergo multo magis doctori, qui facit damnum in spiritualibus, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, quod fit per reuocationem doctrinae.

SED CONTRA est, qd Greg. dicit, Veritas non est dimittenda propter scandalum.

RESPON. Dicendum, qd hic distinguendum videtur. Si enim doctor doceat falsam doctrinam, tenetur eam modis omnibus reuocare, & maxime si ex ea spirituale damnum sequatur. Si vero doceat veram doctrinam, potest ex ea sequi detrimentum spirituale in auditoribus dupliciter. Vno modo ex defectu ipsius qui docet, vno modo quia doctrinam subtiliorem, & altam proponeret rudibus, qui non essent illius doctrinae capaces, qui ex hoc detrimentum salutis incurreret, contra exemplum Apostoli, qui dicit 1. ad Corinth. 3. Tamquam paruulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Alio modo, quia confuse, & inordinate proponit non praefrens maiora minoribus contra id, qd Greg. dicit in Pastoral. Sic laudanda sunt bona summa, ne despiciantur vltima: sic nutrienda sunt bona vltima, ne dum sufficere creduntur, nequaquam tendatur ad summa, & in his casibus tenetur doctor ex cuius doctrina dānū spirituale accidit, cōtra hoc damnū remediū ponere, in quantum potest, exponendo saltem doctrinam suā. Alio modo potest contingere ex defectu

A aliorum, puta, si aliqui dicēdo aliqua erronea inducerent homines ad aliquam religionē, vt pote, si dicerent, qd quicumq; intrat talē religionē, statim erit aequalis meriti sicut Beatus Petrus. Et in hoc casu nō tenetur cessare a sua doctrina: intrare enim religionē propter errorē nō est bonum. Vnde sic non retrahit hoīes a meliori bono talis doctor, & hoc est quod Greg. dicit in Pastoral. Sicur in eaura locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errorem derelinquit. ¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QV AESTIO XIII.

B ENDE circa religiosos quaesita sunt duo. ¶ Primo, Vtrum religiosi teneantur patienter tolerare iniurias sibi factas.

¶ Secundo, Vtrum ille qui iurat se non intraturum religionem, possit licite religionem intrare.

ARTICVLVS XXVI.

Vtrum religiosi debeant tolerare suos impugnatores.

CIRCA primum sic proceditur. Videtur qd religiosi nō debeant tolerare suos impugnatores. In impugnacione enim perfectōri virorum Deus impugnatur, vnde Dñs Saulo persequēti discipulos Christi dixit Actuum 9. Saule Saule quid me persequeris? sed perfecti viri non debent impugnatores Dei tolerare, ergo neque impugnatores proprios. ¶ Præterea. Quilibet perfectus debet obuiare his quae statui perfectionis prauidicant, vnde Apostolus dicit 2. ad Corinth. 6. Vt non vituperetur ministerium nostrum: sed per hoc quod perfecti impugnantur, statui perfectionis derogatur, ergo perfecti viri non debent tolerare suos impugnatores.

SED CONTRA est, quod Greg. dicit. Non sumus perfecti, si aliorū inordinationes ferre nō possumus.

RESPON. Dicendum, qd perfecti viri dupliciter impugnantur. Vno quidem modo quantum ad personas proprias, vt pote cum inferuntur eis iniuriae personales. Alio modo possunt impugnantur quantum ad statum eorum, vt puta, cum aliquis verbis, vel factis perfectionis statui derogat, & haec duo iunguntur lac. 2. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, quod pertinet ad personales iniurias. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos? quod pertinet ad religionem, vel statum. In iniurijs ergo personalibus decet perfectos viros esse maxime patientes, vt sint etiam parati plura sufferre, secundum illud Matthaei 5. Si quis percusserit in dextra maxilla, praebe ei alteram. Statum vero suum impugnant, nō debēt pati, quantum resistere possunt, hoc enim vergeret in iniuriā Dei: vnde contra quosdam dicitur Ezech. 14. Non ascendisti ex aduerso, nec opposuisti vos murum pro domo Israel. Et ideo Dominus iniurias quae contra humanitatem eius inferebantur, patienter tolerauit, sicut cum ludaei dicebant. Ecce homo vorax, & potator vini, vt habetur Matthaei 6. & sicut diabolus dixit ei. Mitte te deorsum, quod videbatur ad propriam iniuriam pertinere: sed iniurias Dei non tolerabat, vnde Pharisaeos dure redarguit, Matthaei 12. quia dicebant quod in Beelzebub eieceret daemonia, quod pertinebat ad iniurias Spiritus sancti. Et similiter cum diabolus ei dixit. Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me, quod ad iniuriā Dei perti-

2. 2. q. 168. ar. 1. ad. 2. & 4. & q. 188. ar. 3. ad. 1. & op. 19. c. 17.

pertinebat: statim enim eum repulit dicens, Vade satana, ut habetur Matthæi 4. ubi dicit Chrysostomus. Illius discamus exemplo nostras quidem iniurias magnanimitè sustinere, Dei autem iniurias nec velle que ad auditum sufferre: quoniam in proprijs iniurijs esse quemlibet patientem laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.

¶ Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS. XXVII.

Utrum qui iuravit se non intraturum religionem, possit licite intrare.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quòd ille qui iuravit se non intraturum religionem, non possit licite intrare. Omnis enim obligatio licita, est adimplenda: sed licitum erat ei non intrare religionem. ergo cum ad hoc iuramento se obligavit, videtur quòd teneatur non intrare.

SED CONTRA est, quia nullum impedimentum spiritualis profectus est ex Deo: sed iuramentum est ex Deo. ergo per iuramentum non impeditur spiritualis profectus intrandi religionem.

RESPON. Dicendum, quòd obligatio iuramenti tripliciter se potest habere. Quandoque enim est illicita obligatio, & de re illicita, puta, cum aliquis iurat se fornicaturum, & tale iuramentum non tenetur homo adimplere, nec est licitum impleri. Quandoque vero est obligatio licita, & de re licita, puta, cum aliquis iurat se eleemosynam daturum, & tale iuramentum præterire non licet. Quandoque vero est obligatio illicita, sed de re licita, puta, cum aliquis iurat se non facturum aliquod maius bonum, quod tamen facere non tenetur, puta ieiunare, vel non dare aliquam eleemosynam, vel religionem non intrare. Tunc enim id ad quod se iuramento obligat, licitum est: sed tamen obligatio est illicita, quia per hoc homo quantum in se est, obfirmat se contra gratiam Spiritus sancti, quæ facit hominem in suo corde ascensiones disponere, unde tale iuramentum licite potest homo implere, abstinendo ab illo bono quod facere non tenetur, non tamen cogitur ex illo iuramento ad hoc quod impleat quod iuravit: quia iuramentum ad hoc quod sit obligatorium, debet habere tres comites, iudicium, iustitiam, & veritatem, ut habetur Iere. 4. Huic autem iuramento deest iudicium discretionis, quia vergit in deteriore exitum retrahendo a meliori bono.

ARTICVLVS. XXVIII.

Utrum liceat clerico, qui tenetur ad horas canonicas, dicere matutinas sequentis diei de sero.

ar. 67. 3. p. q. 80. ar. 2. ad 5

DEINDE circa clericos quaesitum est unum, utrum liceat clerico, qui tenetur ad horas canonicas, dicere matutinas sequentis diei de sero, & utrum non. Dicitur enim Eccl. 2. 1. Lascivius, & imprudens non servabit tempus: sed iste in dicendo matutinas non observat tempus: cum enim dies incipiat a media nocte, videtur quòd matutinas sequentis diei dicat in die præcedenti. ergo videtur quòd hoc ad lasciviam, & imprudentiam pertineat, & ita videtur esse peccatum.

SED CONTRA. Deus elementior est quolibet homine: sed homo non imputat debitori in culpa, si debitum sibi reddat ante tempus. ergo multo minus Deus.

RESPON. Dicendum, quòd hic consideranda est

intentio eius, qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibusvis horis canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentia, & voluprati vacet, non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem, & licitarum honestarum occupationum, puta, si clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, licite potest de sero dicere matutinas, & in alijs horis canonicis tempus prævenire, sicut etiam hoc in solemnibus ecclesijs fit: quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quam quòd per unum aliud impediatur.

AD PRIMUM dicendum, quòd quantum ad contractus, & alia huiusmodi, dies incipit a media nocte: sed quantum ad ecclesiasticarum officium, & solemnitarum celebritates incipit dies a vespere, unde si aliquis post dictas vespere, & completorium, dicat matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem.

¶ Finis quinti quodlibeti.

INCIPIT QVODLIBET SEXTVM.

QVÆSTIO PRIMA.

ARTICVLVS. I.

Utrum unitas essentia ponat in numerum cum unitate personæ.

QVÆSTIVM est de Deo, de Angelo, de homine, de creaturis pure corporalibus. ¶ Circa Deum quaesitum est unum. Vtrum scilicet unitas essentia ponat in numerum cum unitate personæ, & videtur quòd non. Sunt enim tres personæ diuinae. Si ergo unitas essentia poneret in numerum cum unitate personæ, sequeretur quòd in Deo esset quaternitas, quod est hæreticum. non ergo unitas essentia ponit in numerum cum unitate personæ.

SED CONTRA. Si unitas essentia sit penitus idem cum unitate personæ, non ponens cum ea in numero, sequeretur quòd in quocumque predicat unum, predicaretur, & reliquum: sed unitas essentia predicatur de tribus personis: dicimus enim, quòd pater, & filius, & spiritus sanctus sunt unum. ergo unitas personalis predicabitur de eis, ut dicatur, quòd pater, & filius, & spiritus sanctus sunt vnus, quod patet esse falsum.

RESPON. Dicendum, quòd unumquodque in quantum est unum, in tantum est ens, unde ens, & unum conuertuntur. Est autem unumquodque ens per suam formam, unde & unumquodque per suam formam habet unitatem, & inde est, quòd quæ est comparatio formæ ad formam, eadem est comparatio unitatis ad unitatem. Deus autem est formaliter Deus per suam essentiam, proprietatem autem personalem est quasi forma constituens personam, quæ quidem realiter distinguitur ab alia persona propter oppositionem relativam, sed proprietatem personalem non distinguitur realiter ab essentia, alioquin sequeretur, quòd in Deo esset compositio, & quod aliquid adveniret ei per modum accidentis. Nam omne quod est extra essentiam rei, accidentaliter advenit: differt tamen proprietatem personalem ab essentia secundum modum intelligendi, & significandi. Nam essentia dicitur absolute, proprietatem vero personalem im-